

Fructus Spiritus.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli ad Gálatas 5, 16-25

Fratres:

- ¹⁶ **S**píritu ambuláte
et concupiscéntiam carnis ne perfecéritis.
- ¹⁷ Caro enim concupíscit advérsus Spíritum,
Spíritus autem advérsus carnem;
hæc enim ínvicem adversántur,
ut non, quæcúmque vultis, illa faciátis.
- ¹⁸ Quod si Spíritu ducímmini,
non estis sub lege.
- ¹⁹ Manifésta autem sunt ópera carnis,
quæ sunt fornicátio, immundítia, luxúria,
²⁰ idolórum sérvitus, venefícia, inimicítia,
contentiónes, æmulatiónes, iræ,
rixæ, dissensiónes, sectæ,
²¹ invídiæ, ebrietátes, comissatiónes
et his simília, quæ prædíco vobis,
sicut prædíxi, quóniam, qui tália agunt,
regnum Dei non consequéntur.
- ²² Fructus autem Spíritus est caritas, gáudium, pax,
longanimitas, benígnitas, bónitas,
fides, ²³ mansuetúdo, continéntia;
advérsus huiúsmodi non est lex.
- ²⁴ Qui autem sunt Christi Iesu,
carnem crucifixerunt cum vítiis et concupiscéntiis.
- ²⁵ Si vívimus Spíritu,
Spíritu et ambulémus.

Verbum Dómini.